



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac
Apostolica Historia**

Steinhart, Franz

Ingolstadii, 1734

VD18 90104692

Jechonias, Rex Juda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

subacti, & rursus servituti subjecti sunt Rege Joakimo etiam morte sublato, cujus deinde cadaver extra portas Jerusalem projectum, & sepulturam asini sepultum est, veluti Jeremias praedixerat; & regnavit Jechonias filius ejus pro eo, jure ad ipsum devoluto sceptro.

Jechonias, Rex Juda.

Ab An. 3383.

Jechonias
eum Judaeis
in Babylo-
nem abduci-
tur.

4. Reg. 24.

à v. 8.

2. Par. 36.

v. 10.

Jechonias decem & octo annorum erat, cum regnare coepisset, & fecit malum coram Domino juxta omnia, quae fecerat Pater ejus. Regnavit tribus solum mensibus. veritus enim Nabuchodonosor, ne memor Patris tam indignè à Chaldaeis occisus deficeret, seque Aegyptiis aut Tyriis, qui jam tunc erant, hostibus jungeret, rursus venit cum exercitu, & Jerusalem obsidione cinxit. Jechonias diffusus viribus suis de consilio Matris ac Jeremiae Procerumque egressus se Babylonio dedit. Speravit Jechonias, cum nullius criminis contra Babylonium sibi conscius esset, eum nihil mali illaturum civitati. At iste Jerusalem ingressus abstulit primo thesauros Domus Domini, & Domus regia; deinde Jechoniam Regem, Matrem, & uxores ejus, universos Principes, decem millia virorum fortium, 8000. opificum, Sacerdotes & Prophetas, inter quos Ezechiel, Josedec & Mardocheus, captivos duxit in Babylonem relictis solis pauperibus iisque, qui huc illucque diffugerant.

Sedecias fit
Rex.

4. Reg. 24.

à v. 17.

2. Par. 36.

à v. 10.

Sedeciam verò tertium Josiae Filium & Jechoniae Patrum Regem Judaeae constituit jurejurando adstrictum, ut fidem servaret, nihil in Regno mutet, Aegyptios non juvet, & tributa cum fide pendat. Rebus ita in Judaea compositis Nabuchodonosor recessit; quod ubi percerebuit, ii, qui magno numero antea metu Chaldaeorum in Aegyptum aliaque loca confugerant, reversi sunt, & Regnum Sedeciae paulò splendidius reddidit.

Sedecias, Rex Juda.

Ab An. 3383.

Jeremias Re-
gem & popu-
lum frustra

Vigesimum & primum annum aetatis habebat, cum regnare coepit, & undecim annis regnavit, & fecit malum coram Domino juxta omnia quae fecerat Joakim ejus Frater. Jeremias, qui DEI nutu Jerusalem remanserat ad curandas populi reliquias,